



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0450

Sabato 23.07.2011

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DELL'ANNO GIUBILARE NEL 375° ANNIVERSARIO DEL RINVENIMENTO DELL'IMMAGINE DI NUESTRA SEÑORA DE LOS ÁNGELES, PATRONA DI COSTA RICA (CARTAGO, 2 AGOSTO 2011)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DELL'ANNO GIUBILARE NEL 375° ANNIVERSARIO DEL RINVENIMENTO DELL'IMMAGINE DI *NUESTRA SEÑORA DE LOS ÁNGELES*, PATRONA DI COSTA RICA (CARTAGO, 2 AGOSTO 2011)

In data 9 luglio 2011, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Francisco Robles Ortega, Arcivescovo di Monterrey, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni conclusive dell'anno giubilare nel 375° anniversario del rinvenimento dell'immagine di Nuestra Señora de los Ángeles, Patrona di Costa Rica, che avranno luogo a Cartago, il 2 agosto 2011.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici del clero di Cartago:

- Rev.do Sac. Mario Quirós Quirós, Formatore e Direttore Spirituale del Seminario nazionale Nuestra Señora de los Ángeles;
- Rev.do Sac. José Francisco Arias Salguero, Cancelliere della Curia diocesana e Giudice del Tribunale ecclesiastico nazionale di Costa Rica.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Francisco Robles Ortega:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
FRANCISCO S.R.E. Cardinali ROBLES ORTEGA

Archiepiscopo Metropolitae Monterreyensi

Miranda profecto sacra signa et innumera quidem ubique terrarum exstare servarique omnes noverunt, quae christianam religionem fideliumque pietatem estendere volunt. Id vero genus inter praestantes testificationes veneratum recensetur Nostrae Dominae Angelorum simulacrum, in Basilica Carthaginensis in Costa Rica dioecesis servatum. Anni CCCLXXV transierunt ex quo illa Deiparae imago est reperta, quae postea condignum obtinuit locum, ubi servaretur. Ad caelestem Matrem frequentes cives fidenter saeculorum decursu decurrere consueverunt, quae totius Nationis benigna Patrona habetur, superna dona deprecaturi.

Congruenti huius imaginis cultu et honore cupimus Nos fidelium animi ut confirmentur, novo inde suscepto vigore et in christianam pietatem studio. Quocirca libentes et volentes Venerabilis Fratris Iosephi Francisci Ulloa Rojas, Episcopi Carthaginensis in Costa Rica, necnon illius Nationis ceterorum Episcoporum postulatis obsecundare cupimus, qui insignem a Nobis Missum poposcerunt ut anno iubilari finendo, CCCLXXV transacto anno ab ea imagine inventa, sollemniter interesset.

Itaque ut celebratio haec festivius et convenientius peragatur, mittere virum eminentem statuimus, qui partes Nostras sustineat Nostramque pariter benignam mentem ostendat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus et animum, qui videris prorsus par acceptusque ad officium hoc tuendum et congruenter explendum. Quapropter te MISsum EXTRAORDINARIUM NOSTRUM constituimus, ut, frequenti occurrente illa commemoratione, mense autem Augusto die II, ipsam vocem Nostram significes, unde penitus agnito filius sacrae effigiei sensu et praestantia, non modo cuncti illud insigne simulacrum admirentur, verum et novum animum suscipiant ad operosam fidem excolendam.

Universis igitur participibus inibi cunctis benevolentiam Nostram ostendes, ac pariter cohortationem ad pristinam illam pietatem repetendam atque Ecclesiae Matrem impense colendam. Omnibus Nostro nomine auctoritateque Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et futuro de tempore supernarum gratiarum documentum.

Ex Aedibus Vaticanis, die XII mensis Iulii anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

BENEDICTUS PP. XVI

[01122-07.01] [Testo originale: Latino]
